Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2197
Quelle:
Copyright:

DCCCCXXIV.

C. 956 Codex membraneus germ. maximam partem Sec. XV. currente calamo ſcriptus, Folior. 202. 8vo. min. praeter literas initiales auro fulgidas, et depictas *Chriſti* B. *Mariae* et SS. imagines exhibentes, ornatus Iconibus majoribus XIV. aetate et uſu aliquantum detritis, et e Parthenone *Halenſi Tyroleos* adlatus Pietatis varia continet Exercitia ſcripta in uſum, ut e pictura praevia duorum Conjugum adſtitutis Inſignibus gentilitiis eruitur, *Ulrici Montfortii*, et *Magdalenae Oettinganae* Comitum, quorum poſterior *fol.* 183. p. 2. Miſſae ſacrificio genuflexa adeſſe viſitur. Tempus ſcriptionis liquet e citatis *fol.* 172. p. 2. Indulgentiis ab *Alexandro* VI. Papa collatis. Longum foret percenſere Preces in Libello contentas privato potiſſimum ingenio pro aevi captu compoſitas, quarum multae de patiente Servatore, qui *fol.* 49. p. 2. *torcular calcare ſolus* cernitur, ipſo Patre coeleſti prelum deſuper urgente. *Fol.* 69. p. 2. habetur Lectio *Iſaiae* dicenda *An der krumbmitwoch*, id eſt, Feria IV Hebdomadae majoris. Ετυμον hujus controverſum vide in *Scherzii Gloſſar. h. v.* Quod *Codici* pretium conciliat, ſunt *foll.* 43. 115. 164. et 201. inſerta αὐτογραφα Nomina et Symbola Virorum et Feminarum e clariſſimis S. R. I. Familiis, puta *Mansfeldiorum*, *Fuggerorum*, *Rechbergiorum*, *Königſeckiorum*, *Helfenſteiniorum*, *Truchſeſſiorum*, *Eberſteiniorum*, quorundam etiam ex Hiſtoriis Sec. XVI. notorum, quorum obitum deinceps notavit pia et amica manus adjecto: *Genadt ihm*, vel *ihr Gott.*

DCCCCXXV.

Codex membraneus germ. Sec. XV. Folior. 100. 4. min. bene ſcriptus, literis initiorum et marginum ornamentis auratis picturatisque, varia Pietatis Exercitia continet adlatus e Parthenone *Halenſi Tyroleos*, et olim Matronae cujusdam ex illuſtri *Notbaftiorum* proſapia, ut liquet ex inſerta Icone *fol.* 61. cujus tergo *Leopoldus* I. Imp. manu propria inſcripſit: 1687. *Meiner Lieben Notbafftin Mich in dero andächtiges gebeth Empfeblend. Leopold.* Atque Matronam hanc *Mariam Euſebiam* Viduam *Breunerianam* habeo, quae magna Magiſtra Aulae *Elenorae Magd. Thereſiae* Imp. Viduae a. 1710. obiit. Praemiſſo porro *Calendario*, in quo Vigiliae cum jejunio voce *Panfaſt* adnunciantur, conſequuntur Orationes variae ad Deum, *Chriſtum*, *Mariam*, variosque Divos privato marte compoſitae, in quibus et ſingularia quaedam, ut *fol.* 26. C. 953

Mein